



# Disputatio juridica inauguralis de legatis

<https://hdl.handle.net/1874/291130>

7.

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS  
DE  
LEGATIS.

QUAM  
DUCE ET AUSPICE DEO T. O. M.  
*Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,*  
JOANNIS DAVIDIS HAHN,

Philos. & Med. Doct. Philosophiæ, Physices Experimen-  
talis & Astronomiæ Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu, atque  
Nobilissimæ FACULTATIS JURIDICÆ decreto,*


PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus &  
Privilegiis rite ac legitime consequendis,

*Eruditorum Examini submittit,*

JOANNES EMANUEL SCHENCK VAN REECKOM,  
AMSTELODAMENSIS.

A. D. 2. Junii, H. L. 2. S.



TRAJECTI AD RHENUM,  
EX OFFICINA IOANNIS BROEDELET,  
ACADEMIAE TYPOGRAPHI. MDCCLV.

DISPUTATIO JURIDICA  
 IN AUGURALIIS  
 DE  
**L E G A T I S.**

QUAM  
 DUCIT ET AUSPICE DEO T. O. M.  
 Et Auctoritate Illustrissimi Rectoris,  
**JOANNIS DAVIDIS HAHN.**

Philol. & Med. Doc. Philologiae, Physicae Experiment.  
 raris & Astronomiae Praeceptoris Ordinarium  
 M. D. C. C. X. V.

Amplicissimi Senatus ACADEMIAE COMITUM, MAGNI  
 Nobilissimae Facultatis JURISCAE DOCTORIS,  
 PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiusque in UTROQUE JURE Honoribus &  
 Privilegiis hinc ac inde concessendis,  
 Exaltationum Examinis subactis.

**JOANNES EMANUEL SCHENCK VAN REECKOM,**  
 ASTRUCODANENSIS  
 A. D. 2. Junii, M. D. C. C. X. V.



TRAJECTI AD RHENUM,  
 EX OFFICINA JOANNIS BROEDERET,  
 ACADEMIAE TYPOGRAPHI MDCCXV.

VIRO DOCTISSIMO PRUDENTISSIMO  
REVERENDO

D. DOMINO JOACHIM BERVELINGH,  
IN ECCLESIA AMTELODAMENSI PAROCHO  
FAUTORI AESTIMATISSIMO.

NEC NON

VIRIS ILLUSTRISSIMIS REVERENDISSIMIS  
QUAM MAXIME VENERANDIS

PETRO JOANNI MEYNDERS, &c. &c.

JOANNI VAN STIPHOUT, &c. &c.

UT ET

TOTI CLERICORUM ORDINI, ILLI AC  
HUIC SUBJECTO.

DOMINIS SUIS AC FAUTORIBUS IN PERPE-  
TUUM COLENDIS, CUM VOTO OMNI-  
GENAE FELICITATIS.

*Dissertationem hanc inauguralem,  
ut & se met ipsum devoto pe-  
tore humillime*

D. D. D.

J. E. SCHENCK VAN REECKOM.

VIRI DOCTISSIMO PRUDENTISSIMO

REVERENDO

D. DOMINO JOACHIM BERVELINGH.

IN ECCLESIA AMSTELÆDAMIENSIS PAROCHIA

PASTORI AESTIMATISSIMO.

NE NON

VIRIS ILLUSTRISSIMIS REVERENDISSIMIS

QUAM MAXIME VENERANDIS

PETRO JOANNI MEYNDERS, &c. &c.

JOANNI VAN STIPHOUT, &c. &c.

UT ET

TOTI CLERICORUM ORDINI, ILLI AC

HUIUS SUBJECTO.

DOMINIS SUIIS AC PASTORIBUS IN PERPETUUM

TUM COLENDIS, CUM VOTO OMNI-

GENAE FELICITATIS.

Dissertatio dea inaugurata,

et a Joanne Meijer

Clare promissa

D. D. C.

J. M. SCHENCK VAN REECKOM



DISPUTATIO JURIDICA  
 INAUGURALIS  
 DE  
 LEGATIS.

CAPUT I.

*De Etymologia, definitione atque Generibus  
 Legatorum.*



legando dicta sunt legata; legare apud Vete-  
 res Latinos significabat disponere de bo-  
 nis suis, verbis directis & imperativis per  
 Modum legis, uti testator Ulpianus *in*  
*fragm. hoc tit.* quae notatio quaedam est,  
 & ratio nominis: Coeterum quia hoc longiuscule peti-  
 tum videtur, alii potius legare dictum putant *a legen-*  
*do*, quatenus hoc verbum deligere & decerpere signifi-  
 cat: quod & Florentinum existimasse credibile est, ac  
 proinde legatum definivisse *delibationem hereditatis l.*  
 116.

116. ff. de leg. 1. Nam delibare decerpere est *Cic. in Orat. pro Sext. omnes undique flosculos carpere atque delibare.* quae autem decerpuntur, leguntur *Virg. Eclog. 1.*

*Quid legitis flores & humi nascentia fraga*

Nec dissimili admodum Varro *lib. 4. de ling. lat.* Legatos a legendo appellatos tradit, quia scilicet *publice lecti sunt, ut mittantur.* Coeterum Ulpiani convenientior videtur latitudini significationis verbi legare, in qua usurpatur in illa legis 12. Tab. *ut quisque legasset, &c.* ubi hoc verbo *legasset,* continentur etiam heredum Institutiones, denique quidquid quibuscunque verbis solennibus Paterfam. in testamento caverit, confirmatur. *l. 120. de Verb. sign.* Definitur autem legatum *Donatio quaedam a defuncto relicta, ab herede praestanda. §. 1. Inst. hoc tit.* dicitur donatio *quaedam,* ut appareat improprie aliquid hoc modo donari; Donatio mortis causa excluditur, quia ea non relinquitur a Defuncto, & quod ex illa donatione accipitur, fuit debitum antea ex contractu per modum conventionis inito tempore vitae, ad quem duorum consensus necessarius est: Excluditur heredis institutio, quia ea non est donatio quaedam, eo quod heres succedat tam in commoda, quam in incommoda, nam Hereditas etiam sine ullo corpore juris intellectum habet. *l. 50. ff. de hered. pet.* Imperative deinde debebat fieri haec donatio, id est verbis directis. *l. 2. Commun. de leg. l. 15. C. de Testam.* Verba enim precaria non erant valida ex legibus duodecim Tabularum, sed ex voluntate tantum heredum descendebant: Te-  
sta-

tamento denique relinquenda erant Legata non Codicillis, antequam scilicet Justinianus legatorum fideicommissorumque naturam exæquavit. unde hodie recte in Codicillo etiam ab intestato exemplo fideicommissorum legari posse certum est. §. 20. *in fin. de fideic. hered.* Genera legatorum olim fuerunt quatuor, quae relinquebantur vel per *Vindicationem*, vel per *Damnationem*, vel *Sinendi modum*, aut *Praeceptionem* §. 2. *inst. hoc tit.* per *Vindicationem* his verbis legabatur, *do lego, capito, sumito tibi habeto, vindicato*; per *Damnationem* ita; *Heres meus damnas esto dare, dato facito, heredem meum dare jubeo*; *Sinendi modo sic*; *Heres meus damnas esto sinere Lucium Titium sumere illam rem sibi que habere per Praeceptionem*; uni ex heredibus legabatur hac formulâ, *Luci Titi mihi ex parte heres illam rem praecipito, aut praecipuam habeto.*

Differentia istarum legatorum specierum non una erat, nam per *Vindicationem* legari poterant res, quae utroque tempore, & mortis scilicet & facti testamenti ex jure Quiritium testatoris propriae erant; per *Damnationem* omnes res legari poterant, etiam quae non sunt testatoris, dummodo tales sint, quae dari queant Ulpian. *Fragm. b. t.* id vero fieri non poterat in vindicationis & praeceptionis legatis. Si conjunctim una res pluribus esset legata per *Vindicationem*: pars deficiens coeteris collegatariis accrescebat: sin vero per *Damnationem* conjunctim, tum pars deficiens penes heredem manebat. Si disjunctim, duobus per damnationem aliquid legatum uni res alteri aestimatio debebatur Ulp. *d. l. §. 12. §. 13.* Legatum *Vindicationis* repudiari poterat. *l. 7. l. 44. §. 1.*



§. 1. l. 86. §. 2. ff. de leg. 1. Legatum *Damnationis* non item, illud etiam erat singulare in legato *damnationis*, quod heres damnatus a testatore, similis erat damnato a Iudice qui ob inficiationem duplo plectebatur. Paul. lib. 1. tit. 19. §. 1. per *sinendi modum*, & propriam rem testator & heredis sui, alienam, quoque relinquere poterat, in quo legato non quidem heres legatario rem relictam tradere jubebatur. sed vindicanti legatario non permittebatur prohibere. Caji *inst. l. 2. 7.* Ita ut non solum hae legatorum species verborum formulis, sed & naturâ quoque, & jure distinctae fuerint, de quibus plura videatur Theophilus: *ad d. §. 2. inst. hoc tit.* Ant. Fab. 6. *Conject. 1.* Male igitur asserit Bachov. *ad Treutler. vol. 2. disput. 13. thes. 1. litt. E.* hos legandi modos in effectu non differre, id enim juri veteri maxime adversatur. Verum verborum differentias Constantinus, effectum Justinianus sustulit. §. 2. *inst. l. 21. C. h. t.* ut novo jure una eademque natura omnibus legatis insit. l. 1. *C. Commun. de leg.* Quod tamen ita intelligendum velim ex communi DD. sententia, si non obsit voluntas testatoris, non enim verisimile est Imperatorem voluisse quidquam statuere contra testatoris voluntatem, qui non verbis, sed ipsis rebus legem imposuit, quoniam nihil est, quod hominibus magis debeatur, quam ut supremæ voluntatis (postquam aliud velle non possunt) liber sit stylus & licitum quod non iterum redit Arbitrium. l. 1. *Cod. de S. S. eccles.*

## CAPUT II.

*De Personis, quae, quibus, & a quibus  
Legata relinquuntur.*

**L**egare omnibus conceditur, qui habent testamenti factionem activam *l. 1. §. 2. ff. de leg. 3. l. 2. de leg. 1.* non enim debet cui plus licet, quod minus est non licere *l. 21. ff. de R. J.* contra legare non possunt, qui testamenti factionem non habent. *d. l. 2. de leg. 1.* legari autem illis potest cum quibus est testamenti factio *§. 24. inst. h. t.* & non solum qui testamenta facere possunt, sed etiam qui testamenta facere non possunt, modo sibi, vel aliis acquirere possunt, quales sunt infantes & servi; sed olim personis incertis legata relinquere non poterant, quia certum debet esse Consilium testantis ait Ulpianus *in tit. 22.* Quia tamen res odiosa est cohibere voluntates testantium, ideo si non prorsus vaga & diffusa incertitudo esset, legata facile etiam a Veteribus sustinebantur. Primo enim personae incertae legatorum erant capaces, si sub numero plurimum certarum personarum continerentur, quale exemplum Justinianus profert *ex cognatis meis, qui nunc sunt, si quis filiam meam uxorem duxerit ei heres meus illam rem dato,* quod si additum non esset, *qui nunc sunt,* invalidum foret Legatum, quia non reperiret intentio testatoris ullum habere objectum. *§. 25. inst. h. t.* si etiam vivo testatore incertitudo ad certitudinem redigatur, quod relictum est, peti potest, v. c. *si testator dixit, illis, qui testamentum meum obsigna-*

*verint, heres meus decem dato, l. 14. de reb. dub. e-*  
 tiam si quis remuncrandi insignis beneficii ergo, incer-  
 rae personae aliquid praestari jusserit, hoc esse adim-  
 plendum cujus rei exemplum videre licet *in l. 5. de*  
*reb. dub.* Postumo alieno iure mediae quoque legari  
 non poterat cum persona, esset omnino incerta;  
 mas an foemina, ater an albus, imo an unquam  
 homo esset futurus. §. 26. *b. t.* Coeterum servo  
 heredis non recte legatur pure; quia quod servo le-  
 gatur, ipsi domino legari intelligitur, & proinde here-  
 di a se ipso legaretur, quod a juris ratione alienum est.  
*l. 18. l. 116. §. 1. de leg. 1.* & licet servus vivo testa-  
 tore e potestate exierit, nihilominus inutile legatum est  
 propter definitionem Regulae Catonianae, quae non  
 patitur legatum, quod inutile foret, si testator statim  
 post factum testamentum decessisset ideo valere, quia  
 testator diutius vixit. §. 32. *inst. hoc tit.* Coeterum  
 quia Regula Catoniana ad legata conditionalia non per-  
 tinet *l. 4. ff. de Reg. Cat.* nihil impedit, quo minus  
 sub conditione heredis servo recte legetur, & valeat  
 legatum si tempore, quo dies legati cedit, servus in  
 potestate heredis non sit: nota tamen servo non aliter  
 recte legari, quam si dominus ejus sit Civis Romanus  
 & consequenter cum eo sit testamenti factio. Non ta-  
 men absolute statuere licet, *legari etiam servo posse*  
*quidquid recte legatur domina: quae vero ipsi domino*  
*relinqui nequeunt, servo quoque frustra legari;* vide-  
 ri ita prima fronte posset. Si tamen penitius omnia in-  
 spiciantur ac considerentur, contraria omnia sese ha-  
 bebunt, sunt enim, quae domino recte legantur servo  
 ejus non item, dantur etiam quae servo alieno legata  
 con-

consistunt, quamvis domino relicta nullius momenti sunt. vid. Clariss. D. Voorda *Elect. lib. sing. Cap. XVIII.* Ecclesiis piisque locis quin recte legetur extra dubium est, si jus commune respicias. *l. 1. C. de S. S. Eccles.* perquam Constantinus permisit venerabilibus locis bonorum quod optat relinquere non distinguendo mobilia sint, an immobilia; revocata lege priore per quam ista licentia erat sublata. enim vero cum nulla dubitatio sit quin senatus temporibus D. Marci permiserit Collegiis legare, id tamen sic intelligendum, nimirum si Corpori, cui licet coire, legatum sit, debeatur; cui autem non licet, si legetur, non valebit, nisi singulis legetur. Hi enim non quasi collegium, sed quasi certi homines admitterentur ad legatum. *l. 20. de Reb. dub.* legatur porro non tantum ab herede sive instituto sive substituto, etiam pupillari; non tamen pupilli exheredati; quia ut talis pupillus non potest gravari, ita nec ejus substitutus *l. 24. C. de leg. non tamen in amplius quam ei relictum. l. 70. de leg. 2. cum nemo sit gravandus ultra quam honoratus. l. 1. §. 17. ad SCtum Trebell.* Quod verum est quatenus quantitas cum quantitate confertur: Nam si rogatus restituere aliquid, legata certa quantitate, etiam minore quam res est, quam rogatur restituere, accepto legato cogitur legatarius rem suam praestare, quod videatur approbasse voluntatem, & rem suam pluris non aestimasse.

## CAPUT III.

*Quae Res legari possunt.*

Legari possunt in Genere omnes Res, quae sunt in commercio, excipiuntur marmora, columnae, tigna, fenestrae, ostia, fistulae, statuae, quae inhærent parietibus, & generaliter Res omnes aedibus junctae: *l. 41. §. 1. 8. §. seqq. de leg. 1.* quamquam & haec *Fur. Rom.* Commercia fere exempta videantur, plane si sine damno auferri possunt, & publicus non deformetur aspectus, recte legantur. *l. 2. C. de aedific. priv. juncta l. 43. de leg. 1.* Damnum autem rei hic non significat, quo res minoris venderetur, ut clare constat ex *d. l. 41. §. 11. de leg. 1.* sed quo domus ejusque fundamenta aliquo modo fiant infirmiora, aut parietes domus laedantur, aut laedi possint, *d. l. 41. §. 9. §. seqq. l. 43. §. 1. eod.* altera exceptio est in *d. l. 41. §. 5.* nimirum ut valeat legatum, si quis legaverit ad opus rei publicae faciendum, aut ad opus civitatis, in cujus territorio domus est, similiter si quis illicite aedificaverit (id quod constitutiones dirui jubent) fideicommissum ex eo relinquere quem posse testatur Ulpianus in *l. 11. §. 14. de leg. 3.* Quarta exceptio est *d. l. 41. §. 14.* Coeterum non solum id, quod aedificio urbano junctum est, legari non potest, sed nec id, quod rustico junctum est *l. 52. ff. de contrah. empt.* Moribus plane hoc videtur cessare, per ea quae tradit Groenw. *ad d. l. 52.* Quaeritur an saltem hisce casibus  
non

non debeatur aestimatio, falso id affirmat Accursius *ad d. l. 41. §. 2.* eumque secutus Paulus Voet *in Comment. ad hunc tit. num. 2.* Cum enim Jurisconsultus exprimat certos Casus, quibus aestimatio praestanda est ut *in d. l. 41. §. 4. §. 16. §. d. l. 43. pr.* Consequens est in coeteris casibus aestimationem non deberi, casus enim expressi & excepti firmant Regulam in non exceptis *l. 12. §. 43. ff. de instr. vel intr. leg. l. 18. ff. de testib.* Res quae non sunt in Commercio constat legari non posse sicuti nec res, quae in rerum natura non sunt, nec esse possunt *§. 4 inst. b. t. arg. §. 1. inst. de inutil. stipulat.* Non possunt itaque legari Res publicae, quales sunt Campus Martius, Forum, theatrum, basilica, prata, & pascua publica, &c. de quib. DD. *ad §. 6. inst. de Rer. Div.* Neque enim res sacrae, Religiosae, & sanctae, nec Stichus, qui mortuus est tempore testamenti, aut Hippocentaurus, & adeo inutile est hoc legatum, ut ne quidem debeatur rei aestimatio *l. 39. §. 10. ff. de leg. 1. d. §. inst. hoc. tit.* latius Menoch. 4. *praesumpt. 119. 120. num. 6.* Mantic. 9. *Conject. 9. num. 9.* Peregrin. *de fideicomm. art. 11. num. 78.* Sande *lib. 4. decis. tit. 4. decis. 4.* Similiter non debetur rei aestimatio, cujus tam difficilis est comparatio, ut fere videatur extra commercium, & testator ludere, cum eam legat, quales sunt res Caesaris, quae in formam patrimonii redactae, sub Procuratore patrimonii sunt *d. l. 39. §. ult.* non obstat, quod vendens scienter ignorantem rem extra commercium teneatur ad interesse actione exempto *§. ult. inst. de empt. §. vend. l. 4. l. 62. §. 1. ff. de contr. empt.* Nam hic non videtur emptor lusisse, sicuti testa-

tor, & testator ludens non tenetur, nec heres ejus, quia totum negotium proficiscitur ex ejus liberalitate, Venditor tenetur, quia emptoris interest deceptum non esse. Quæritur si absolute res non sit extra Commercium, sed tantum quorundam Commercio exempta, de quibus agunt Donell. *ad l. 34. ff. de Verb. Obl.* Vinn. *num. 1. §. 4. inst. hoc tit. v. g. Mancipium Christianum respectu Judæi & Hæretici, an valeat Legatum? & resp. cum distinctione, aut testatoris, aut heredis, aut Legatarii. commercio est exempta, si heredis aut testatoris, heres tenetur rem emere Legatarii nomine & Legatario præstare, si vero legatarii, legatum absolute non subsistit, adeo ut nec debeatur aestimatio non obstat *l. 114. §. 5. de leg. 1.* ad quam recte respondet Vinnius *ad d. §. 4. inst. h. t. num. 6.* magis obstat *l. 11. §. 16. de leg. 3,* Respondent vulgo DD. si testator in Casu *d. l.* sciverit esse servum, deberi aestimationem non ipsi servo, sed ipsius domino, qui utique legati est capax, & commercium militiae habet, & servo Legatum, ipsi domino relictum videri *l. 31. ff. de hered. inst.* itaque ut in dicta specie Legatarius legati incapax dici non possit. Coeterum non deberi aestimationem, quando defunctus putabat servum esse hominem liberum, quia tunc nec domino potest aliquid acquiri, obstante testatoris voluntate, nec servo, quia non habet rei Commercium. Sed objici possit contra istam solutionem, quod si Legatarius sit capax, sicut in priori dicitur servus ex persona domini non debeatur aestimatio, sed res ipsa, cum autem *in d. l. 11.* absolute dicatur, dandam esse aestimationem, non videtur Legatarius esse capax in Casu *d. l. 11.* Respondent*

dent plerique Legatâ militiâ aestimationem ejus videri legatam, utpote quod Legatum magis consistit in quantitate & pretio, quo vendi potest, quam in corpore *l. 49. §. 1. ff. de leg. 2. fac. l. 30. §. ult. Cod. de in-offic. testam.* Ita ut Jurisconsultus in casu *d. l. 11.* videatur respexisse ad aestimationem potius, quam ad ipsam militiam Cujac. *ad l. 34. de Verb. Obl. Bronch. 3. assert. 46. Arum. exerc. 9. th. 6. Vinn. d. l. mihi* quidem videtur rectius responderi militiam, quae tertio cuidam competit in casu *d. l. 11.* proponi legatam, legata autem re aliena, saepe simpliciter dicunt Jurisconsulti dandam aestimationem *l. 40. de leg. 1. l. 49. §. 3. de leg. 2.* Prima Responsio non satisfacit, quia licet militiae effectus principalis sit ejus aestimatio, tamen inde non recte infertur, militiâ testatoris Legata aestimationem videri, quin ipsa militia debetur, neque patrocinator *d. l. 49. §. 1.* quia sensus ejus non est, quod testator legans militiam propriam, videatur legare aestimationem, sed quod Legatario mortuo Legatum militiae non sit inutile propterea, quod mortuo militante, certa pecunia debeat venire ad ejus heredes *d. l. 30. §. ult.* non ad heredem testatoris, quia testator non solam ipsam militiam, sed magis aestimationem tamquam principalem effectum videtur legasse. Ulterius objicitur *l. 40. de leg. 1.* multi inter quos Cujac. Bronch. & Vinn. debent secundam negationem, quod non probo, quia nunquam deveniendum est ad correctiones legum, quando aliud remedium superest. *l. 2. §. 14. C. de Vet. & Jur. enucl.* distinguendum autem judico inter commercium rei non habere, & Jus possidendi non habere, utique qui non habet rei commercium non habet



jus possidendi, sed non contra qui non habet jus possidendi, non semper dici potest non habere rei commercium: Jus enim possidendi non habere etiam recte dicitur is, qui habet rei commercium V. C. alicui militia legatur, qui ob Coecitatem, aut furditatem aut aliud impedimentum corporis illam administrare nequit, hic tamen habet militiae commercium, licet Jus possidendi non habeat ob Corporis impedimentum. Recte igitur possumus dicere Casum *d. l. 40.* esse hunc nimirum, quod Res aliena sit alicui Legata, qui non habet rei commercium, & ab ipso Legatario rursus per fideicommissum sit relicta alteri, qui commercium rei habet, sed non habet jus possidendi, eoque casu deberi aestimationem, videmus igitur *d. l. 40.* nostrae opinioni non obitare. Posse etiam rem alienam legari, si constat testatorem ea fuisse opinione, quod Res aliena sit atque ea mente, ut ab herede redimeretur. Ideo si testator rem suam arbitratus, alienam legaverit, tale legatum inutile reperitur, quia si forte scivisset alienam rem esse, non legasset testator §. 4. *inst. h. t.* illa vero Ratione cessante, valere quod relictum est, constat, atqui illa praesumptio cessare videtur, quando Affectus erga Legatarium major est, quam insolentia legandi rem alienam, ideoque proximis & conjunctis personis legatum rei alienae indistincte debetur seu sciverit seu ignoraverit testator *l. 10. Cod. de leg.* etiam piae causae *l. 39. de fideic. lib.* propriasque heredum res indistincte legari posse, licet suas putaverit tradit Papinianus in *l. 67. §. 8. de leg. 2.* quia cessat ibi Ratio, quod testator non facile redimendis rebus alienis heredem onerare voluisse credatur. accedit, quod heres simpli-

pliciter factum & voluntatem defuncti praestare cogatur *l. 149. de R. J.* non tamen ultra quam pro sua parte hereditaria *l. 1. C. si cert. pet. l. 2. § 6. C. de hered. act.* si vero debitor legaverit, quod debet suo creditori, inutile est Legatum, si non plus est in legato quam in debito *§. 14. inst. hoc tit.* Ut autem plus sit in legato, quam in debito. Primo efficitur debiti representatione, puta si id, quod sub conditione aut in diem debetur pure legetur, sic enim fit, ut in legato plus sit tempore *d. §. 14. inst.* secundo si quod loco longinquo, aut minus commodo debebatur legetur loco propinquiore, aut commodiore, hic enim loco plus est in legato, quam in debito, plenior est etiam actio ex legato, siue diuturnior, ut si vetus actio est honoraria, ubi ideo legatum valet, quia honoraria actio saepe est temporaria, ex testamento Civilis est & perpetua *l. 28. de l. 1.* vel aliter uberior sit, ut est actio ex testamento: quavis alia actione stricti juris Vid. Vinn. & DD. *ad §. 28. inst. de act.* generaliter autem toties valet hoc legatum, quoties creditoris inter est ex testamento potius agere, quam ex pristina obligatione *l. 11. ff. de liberat. leg.* Wesembec. autem perspicue errat, cum negat, ex eo solo valere Legatum, cum debitor creditori suo quod debet, legat, cum nomine legati pinguior sit actio, & consequenter hodie semper hoc legatum valeat, postquam Justinianus legatariis dedit Vindicationem, & actionem Hypothecariam, jusque taciti pignoris in Bonis defuncti *l. 1. Comm. de Leg.* Vix accidere potest, ut legatum rei debitae nihil utilitatis contineat, & legatarii non intersit potius agere ex testamento, quam ex pristina obligatione. Unde vulgo quaeri solet, an Legatum utile sit, quando debitum quidem fuit in diem

aut conditionale, sed dies aut conditio existit ante mortem testatoris §. 14. *inst. h. t. l. 5. ff. ad leg. Falcid.* §. 1. 82. *pr. de leg. 2.* Difficultas fita est in Conciliatione. Coeterum non recte Vinn *num. 4. ad d. §. 14.* secutus Bacchov. ad Trentler *lib. 2. disp. 13. th. 3. lit. 7.* §. R. Paulum *d. l. 82.* dissensisse a Papiniano *in d. l. 5.* Quod tamen minus respondet Justiniano, afferenti non dare Repugnantiam in Legibus. §. 8. *hisor. jur. de concept. digest. ad Tribon.* ego autem censeo Paulum optime conciliari posse cum Papiniano, si dicatur legatum quidem esse utile quo ad lucrum, non autem quo ad subsistentiam & validitatem vid. Harpregt. *ad d. §. 14. inst.*

## CAPUT IV.

### *Quibus modis Legata extinguuntur.*

**E**ffectus Legatorum, de quo jam egimus, procedit, nisi voluntas deficiat: quam contingit deficere, primo si extinguatur res legata, quia pervenerit in illum casum, a quo inchoari nequit. §. 16. *inst. de leg. nisi Culpà heredis etiam levi aut morà possit imputari rei interitus, quia eam heres praestat. l. 47. §. pen. §. fin. l. 112. §. 1. de leg. 1.* ne facto alterius alteri inferatur injuria. Quod accipiendum primo quatenus certa species est legata, nam legatum generis interitu speciei non extinguitur, ut traditur in §. 16. *inst. de leg.* secundo si tota Res pereat, partis enim interitus non facit, quo minus reliqua pars pars debeat, cum tota

res fit legata, & sic quaelibet pars superstes §. 18. *inst. eod.* Extinguitur praeterea legatum, si legatarius rem consequitur ex alia causa lucrativa, quia duæ lucrativæ causæ concurrentes se invicem consumunt §. 6. *inst. b. t.* & insuper cum sine ullo onere acceperit rem habeatque, frustra eam petit, propterea res devenit in eam causam, a qua inchoari nequit, l. 98. *de Verb. Obl.* qua de Re latius Vinn. *ad d. §. 16. inst. de leg.* praemoriente quoque Legatario extinguitur legatum, quia tantum legatario bene voluit testator, non etiam ejus heredi, ad quem proinde nihil transivit, quia nihil cessit Legatario ante cessum legati diem mortuo l. 10. *ff. de adim. leg.* adimitur Legatum, si testator postea id deberi noluerit: nam sicuti in libera testatoris voluntate est rem legatam alicui relinquere, sic habet facultatem liberrimam, illud, quod semel legaverit, id rursus ei adimendi, aut in alium transferendi: Voluntas enim hominis ambulatoria est usque ad supremum vitae exitum l. 4. *ff. de adim. leg.* Ademptio autem non solum fieri potest in testamento, sed etiam in Codicillis testamento non confirmatis, saltem post exaequationem legatorum & fideicommissorum Vinn. *ad Pr. inst. de Adempt. leg.* dummodo verba non sunt perplexa & se invicem non collidentia, de quo casu loquitur l. 118. *ff. de R. J. l. 16. de Cond. Inst.* Ademptio autem legati fit vel expresse vel tacite; adimitur autem legatum expresse hoc modo *centum, quae Titio legavi, ipsi non do lego.* tacite fit ademptio, quando testator rem legatam alienaverit nulla urgente necessitate rei familiaris l. 18. *ff. de adim. leg.* Quando autem res necessitate alienata & contra eleganter tradit

Menoch.

Menoch. 4. *praesumpt.* 167. si res necessitate alienata est, legatum non extinguitur *d. l. 18. leges* antem quae simpliciter dicunt legatum evanescere re legata alienata, quales sunt *l. 8. pr. de leg. 1. l. 15. d. adim. leg. l. 2. & tribus seqq. de pecul. leg.* secundum praedictam distinctionem sunt temperandae: objici solet *l. 27. §. 3. ff. de instruct. vel instrum. leg.* sed responderi potest, vinum in casu *d. l.* esse venditum, quia aetatem ferre non poterat. Non obstat etiam nostrae distinctioni *l. 32. §. 5. ff. de donat. inter vir. & Uxor.* Argumentatio enim a donatione inter virum & uxorem ad legatum non potest procedere, quia ista facilius revocatur, utpote, quae ab initio non subsistit, sed morte demum confirmatur, aliud est in legato, nota etiam rem nondum Uxori traditam fuisse a marito in casu hujus legis: plane admittitur probatio voluntatis testatoris contra distinctionem. Porro an re alienata nulla urgente necessitate, & postea a testatore recuperata legatum convalescat late disputant D.D. quod tamen negamus *l. 98. §. 8. ff. de solut. & liberat.* Nisi legatarius probet novam testatoris voluntatem: Limitant tamen hoc quidam D.D. respectu personae conjunctae, & piae causae arg. *l. 10. C. de leg. l. 28. §. 1. de Cond. & dem.* Vid. Cujac. ad Modest. *l. 18. de adim. leg.* Gomez. 1. *resolut.* 12. num. 56. si duobus Filiis *separatim* sit Legatum, deinde uni ademptum, nec appareat cui, utroque legatum, deinde uni ademptum, nec appareat cui, utrique legatum debetur *l. 3. §. 7. ff. de adim. leg. sin conjunctim* testator utrique adimisse creditur *l. 10. de reb. dub.* Legatario quoque ante testatorem moriente *l. un. Cod. toll.* vel si testamentum sit nullum, ruptum,

ruptum aut irritum *l. 17. ff. de in just. rupt. l. 1. §. 1. de leg. 3.* aliter obtinet, si testamentum sit rescissum ex causa ex heredationis *Auth. ex causa Cod. de lib. prae- ter. deficiente conditione legato adposita adposita l. 77. de Cond. & Dem.* Propter gravem inimicitiam inter te- statorem & legatarium coortam, quae reconfiliatione consopita non est *l. 3. §. ult. l. 4. ff. de adim. leg. si- ne distinctione, utrum legatarius causam inimicitiae sua culpâ dederit, vel non; Revocatio enim lega- ti fundata est in praesumptione mutatae voluntatis, quae quando testator suam iracundiam inique perfequitur non minus intelligitur, quam ubi legatarius imme- rentem ad iracundiam provocat. Adimitur etiam Le- gatam, si testator legatum consulto induxerit *l. 16. ff. de adim. leg. adde l. 1. & seqq. ff. de his quae in testam. del. Uti quoque si testator rem legatam destruxerit. l. 65. §. ult. de leg. 1. l. 88. §. 2. de leg. 3.* sic quoque legatum extinguitur, si res legata in novam speciem sit translata, ita ut ad pristinam materiam redigi nequeat *d. l. 88. pr. & §. 1. l. 78. §. 4. eod. si vero species, in quam res translata est in suum initium redigi possit, pla- cet consistere legatum d. l. 78. §. 4. eod. d. l. 88. §. 3. fac. §. 25. inst. de Rer. Div.* Nisi tamen aut hic heres probet, testatorem a legatario recessisse. Quomodo ac- cipi debet Ulpianus in *l. 44. §. 2. de leg. 1.* Donell. 8. *comm. cap. 17.* Cujac. 5. *ad African. ad l. 36. de Usu- fruct. & 23. observ. 22.* Non obstat *l. 5. & seqq. ff. quib. mod. Ususf. amitt.* Aliud enim placet in usufru- ctu legato, aliud in corpore seu re legata. Rationem differentiae tradit Vinn. *ad §. 3. inst. de Usuf. num. 5. & seqq.* Extinguitur etiam Legatum, si testator vivus*


C

pe-

18 DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS.

pecuniam exegerit. §. 21. *inst. de leg.* Nisi contrarium ex facti circumstantiis possit deprehendi. *l. pen. §. ult. de adim. leg.* Vid. latius Vinn. *ad §. 21.* & ducem ad universum Jus *fol. 227.* Sed ne propositos fines excedamus; nam latissimus adhuc campus in hac materia restaret, sed haec pro exercitatione Academica delibasse sufficiat, quare Coronidem dissertationi huic impono, in qua, si quaedam non ea, quâ par est Cura tractata sunt etiam atque etiam rogo, ut L. B. ignoscat, Juventutique ac ingenii tenuitati id imputet ac adscribat.

F I N I S.



# COROLLARIA.

I.

*Fera in solo alieno capta, cedit occupanti.*

II.

*Matrimonium ad certum tempus iniri nequit.*

III.

*Haereticis & infidelibus servanda est fides.*

IV.

*Pater filio exheredato tutorem dare potest.*

V.

*Adolescentes invito directe Curatores assumere non coguntur, licet in multis indirecte compelluntur.*



COROLLARIA.

I. *Fera in solo alieno capta, cedit occu-  
panti.*

II. *Marimonium ad certum tempus iuri  
revertit.*

III. *Haereticis & infidelibus servanda est  
fides.*

IV. *Pater filio exheredato tutorem dare  
potest.*

V. *Abolentes iurii dicitur Curator  
assumere non coguntur, licet in mil-  
lis in iudicio compelluntur.*